

CUIUS SUPRA AD EPISCOPOS ITALIAE.

35v

Dilectissimis fratribus per Italiae provincias sanctis constitutis episcopis Sother
papa. 1

5 Divinis praeceptis et apostolicis monitis informamur, ut pro omnium eccle- 2
siarum statu impigro vigilemus effectu, ac si quid usquam repraehensioni inven-
itur obnoxium, celeri sollicitudine ab ignorantiae imperitia et praesumptionis
usurpatione revocemus.

10 Sacratas deo feminas vel monachas sacra vasa vel sacratas pallas penes vos 3
contingere et incensum circa altaria deferre perlatum est ad apostolicam sedem,
quae omnia repraehensione et vituperatione plena esse nulli recte sapientium du-
bium est. Quapropter huius sanctae sedis auctoritate haec omnia vobis reseca-
re funditus, quantotius poteritis, censemus et, ne pestis haec latius divulgetur, per
omnes provincias abstergi citissime mandamus. Ait enim apostolus: Dispondi vos
15 uni viro virginem castam exhibere Christo. Illa est enim virgo ecclesia, sponsa
unius viri Christi, quae nullo se patitur errore vel inhonesta repraehensione vitiari, 36r
ut per totum mundum una nobis sit unius castae communionis integritas.

Unde consurgite, carissimi, cum deo et assistite, induentes arma spiritus adver- 4
sus malignantes contra fidem eius, et probetur spiritus sapienter, id est, verba
illorum, si ex deo sunt. Scriptum est enim in Hieremia: Probatores dedi te in
20 populo meo robustum, et scies et probabis viam eorum. Multum namque nobis
necessaria est vigilantia tanti sacramenti sapientiae discretionis, quae occulta
tenebrarum revelat, ad requisitionem huiusmodi rei et scrutationem, quoniam
latet quodammodo et absconditur vixque comprahenditur dolosa existens mali-
cia pro eo, quod sibi pietatem callide blandiatur, ut valeat scrutantium mentem
25 latere. Quod utique sciens beatus apostolus ait: Nam huiusmodi pseudoapostoli,
operarii subdoli, transfigurant se in apostolos Christi. Sed non mirum, quando
ipse satanas transfiguratur se velut angelus lucis, si ministri eius transfigentur
velut ministri iustitiae, quorum finis secundum opera eorum. Sed et dominus in
hoc praemuniens nos ait: Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vesti-
30 mentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, a fructibus eorum cognoscetis
eos. Ergo in idipsum ex toto corde referentes ante omnia super tali quaestione
deprecationem et dicentes cum David: Revela oculos meos, et considerabo
mirabilia de lege tua, lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis,
quoniam ipsius est, sicut ait beatus Daniel propheta, sapientia et fortitudo eius
35 sunt, dat sapientiam sapientibus et scientiam intellegendibus disciplinam. Ipse
revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est,
quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi et ostendisti mihi, quae rogavi te.

Data Kl. Iunii Cético et Clero cc. cons.

5